

hominem à legitimo Dei cultu abducere existimo. Fatemur quidem, plurimas superstitiones & abusus in hanc artem esse introductos, sed id arti minimè vitio verti debet. Ita enim cōparatum est, ut, quò excellentior, quò sublimior aliqua sit scientia, eò faciliùs in abusum deveniat. Quid ipsa Theologia præstantius? quid divinius? Cum tamen hæc ipsa per maximam orbis partem inde ab initio, plena superstitionum, abusu & hæresium fuerit. Idemque in alijs facultatibus Medicina & Jurisprudencia, ceterisque liberalibus exercitijs videre licet: cum nulla harum sit, quin suis mendis & abusibus sit referta. Committunt etiam ipsi Astrologi in suis prædictionibus multa sæpenumerò errata, quæ ipsorum non artis culpâ contingunt. Vitia enim & errata artificum arti ipsi imputari non debent: Cumque difficillima sit Astrologiæ cognitio, & paucissimis detur, summis labijs prima ejus exordia degustare; Venia danda erit, si aliquando contigerit hujus artis studiosū à scopo aberrare. Nec propterea error ille, in artis ignominiam cedere debet. Restat, ut ad id respondeamus, quod adversarij tandem inferunt, inutilem esse astrorum præscientiam, eò quod sive bona, sive mala prædixerint Astrologi, neutra præscire expediat. Id quidem ita se haberet, si necessariò recipere mus astrorum influentiam, eamque non immutare, vel corrigere possemus. Ideoque non solùm non inutile est, sed maximè expedit, impendentia astrorum decreta præscire, ut, si bona fuerint, non insolenti animo inopinatam felicitatem excipiamus: sin mala, ante eorum adventum, nos præmunire & præcavere possimus. Rectè igitur dixit Autor Centiloquij: *Potest, qui sciens est, multos astrorum effectus corrigere, seq̃ ante illorum adventum præparare.* Ideoque plurimi ignorantes sibi ab astris dependentia decreta, non solùm hæc antevertere nesciunt, sed cæci in sua ruunt infortunia, & astrorum malevolam significationem potius adaugent, quam imminuunt. In prosperis verò & ex voto succedentibus rebus cum ex inopinato,

nato,